



1. Hager s. Joh. Casp. / diff. de perfectio-
nis Christiana studio, Wittenb. 1739.
2. ———— diff. de Bileamo, incarnate,
re et propheta periodico, Wittenb. 1739
3. ———— diff. de communione sub
utraq. Wittenb. 1739.
4. ———— diff. de causis cur Christus
morte crucis voluerit mori, W. 1739
5. ———— diff. de theologo non tantum
theoretico sed practico, Wittenb. 1738
6. ———— diff. de momento endronismos
anime fidelis, Wittenb. 1726.
7. ———— diff. de defectibus afflictio-
num Christi a Paulo supplendis
ex Coloss. 1 v. 24. Wittenb. 1730
8. Hager s. Joh. Georgij / diff. de gradibus
proverbio: prox contra daktisein
Act: VIII v. 5. Lipsia 1738.

910
Q. D. B. V.

EX MATERIA
DE
EUCHARISTIA
SACRA

TRES QUÆSTIONES

Easque Primarias

CONTRA PONTIFICIOS,

sub PRÆSIDIO

CHRISTIANI HAGMAJERI,

Theol. D. & Prof. Publici Ord.

Ecclesiæque Pastoris,

ad Disputandum proponit

Author & Respondens

GEORGIUS PAULUS ERHARDT, *Ratisbonensis,*

ante hac

Membrum Ordinis Francisci FF. Minorum Concionator &

Confessarius, nunc vero Dei gratia Ecclesiæ Lutheranæ - Evangelicæ
quinque annorum Profelytus, & in Illustri Stipendio Tub.

Ministerii Candidatus.

d. 19. Mart. Anno MDCCXXXI.

TUBINGÆ,

impresit Josephus Sigmund.

10

EX MATERIA

EUCHELISTIA

SACRATA

TRIS QUESTIONES

CONTRA APOSTATICOS

CHRISTIANI SACRAMENTA

THEOLOGICI & MORALIUM

ad Dilectum propositum

GEORGIUS RABENUS

M. Magistri Georgii Rabeni

Magistri Georgii Rabeni

Magistri Georgii Rabeni

Imprimi in





Erenissimi Domini Ducis Wirtembergici Nutritii mei longe Clementissimi statuta præcipiunt, ut omnes atque singuli Theologiæ studiosi, qui muneri ecclesiastico admoveri desiderant, per publicam disputationem studiorum suorum prius reddant rationem. Huic ego præcepto duplici obstrictus sum ratione, siquidem non solum per triennium jam in illustri nutritus stipendio, sed etiam ex ecclesia Pontificia per gratiam Dei infinitam (quæ in æternum sit laudata) ad Evangelicam conversus sum Profelytus. Eidem igitur satisfactorius thema aliquod de sacra Coena arduum non modo fidei articulos proxime incurrens, sed etiam peculiaribus Pontificiorum erroribus expositum assumpsi; ut appareat, quàm procul per Dei gratiam à foro Pontificio egressus, qua mente, qua puritate, sinceritate, constantia Evangelicam amplexus sum religionem. Ita verò pertractabo thema propositum, ut ante omnia, quid Scriptura de Pontificiorum hypothesebus sentiat, ostendam & confirmem; dein verò ex hoc fonte ad objectiones & errores Pontificiorum brevissimis respondeam. Hoc autem dum suscipio, in primis ad verba institutionis, uti à Matthæo, Marco, Luca & Paulo recensentur, & ab illis ipsis explicantur mentis oculos converto, & ex iis sapere quidque tenendum sit scire volo. Siquidem ad ea, fatente etiam Bellarmino Pontificiorum antesignano, unice sit respiciendum, cujus verba plane emphatica hæc sunt: *Res & verba sacramentorum ita determinata esse, ut nihil addere, minuire aut mutare liceat.* vid. Lib. de sacram. in genere c. 2. 1. qui idem Lib. 3. de Eucharist. cap. 17. dicit: *Sacramenta novi Testamenti à Christi institutione pendere & à ritu & à verbis, quæ ille præscripsit.* Faxit Deus, ut, quæ scripturus sum, vergant in ipsius Nominis gloriam, errantibus exemplum, mihi que in gremio nostræ Ecclesiæ solatium. Sub tribus autem generalibus questionibus potissimos Pontificiorum, quos in hac materia fovent, errores refellere poterimus, quæritur ergo,

I.

Quid S. Scriptura secundum institutionis S. Coenæ verba de eorum Transsubstantiatione sentiat? Mens Pontificiorum hæc est, quod quando sacrificulus debita intentione verba institutionis

A 2

hoc

hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, profert, vi institutionis S. Cœnæ à Christo factæ panis substantia in corporis Christi substantiam, & vini substantia in sanguinis substantiam convertantur; deque externis illis symbolis sola remaneant accidentia exteriora coloris, saporis, figuræ, magnitudinis &c. Atque hujus doctrinæ receptionem tam necessariam faciunt, ut, qui hanc non credit, mortaliter peccet & hæreticus fiat Verba Concilii Trident: Sess. XIII. C. 4. hæc sunt: *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, quæ conversio convenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata. Et Can. 2. Si quis dixerit in sacrosanctæ Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Domini Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat; anathema sit. Nos autem præeunte S. Scriptura statuimus, quod hæc panis & vini transmutatio nullibi fundata, & Pontificiorum tantum figmentum, & hinc etiam fide à nemine recipienda sit. Nam α .) quod Christus sumsit, benedicendo fregit & dedit discipulis, illud etiam nos accipimus in S. Cœna. Atqui panem naturalem & substantialem ita sumsit, benedicendo fregit & discipulis dedit; uti in eo omnes Scriptores mire consentiunt, & Matthæus & Marcus post consecrationem poculum $\gamma\acute{\epsilon}\nu\eta\mu\alpha\ \tau\acute{\eta}\varsigma\ \acute{\alpha}\mu\pi\acute{\epsilon}\lambda\varsigma$ vocant, quod sine dubio etiam de pane intelligi debet. Ergo nos etiam panem verum & substantialem licet benedictum & ad S. Cœnæ usum consecratum accipimus. Quo posito & stante Pontificiorum conversio necessario cadere debet. β .) Paulus 1. Cor. XI. 26. aliquoties ait, quod panem in S. Cœna edamus & vinum bibamus, & utrumque rebus cœlestibus, corpori atque sanguini, contra distinguit. Quod si autem panis in corpus & vinum in sanguinem converterentur, neque panem atque vinum accipere, neque hæc symbola a corpore atque sanguine distinguere possemus. γ .) Paulus 1. Cor. 10. 16. expresse dicit, quod poculum benedictionis, cui benedicimus, sanguinis Christi, & panis, quem frangimus, corporis Christi communio sit. Non negamus, hunc locum suis etiam difficultatibus expositum esse: quomodo autem cun-*

eundem

eundem interpreteris, nervus contra Pontificios tamen semper stringit, quod panis non ipsum corpus & poculum non ipse sanguis Christi, sed utrumque horum communio sit; ni corpus sui ipsius communionem esse dicere sed absurde velis. Si excurrere & non potius intra Scripturæ me terminos continere vellem, plausura absurditatum in adversariorum confusionem congeri possent, quod scilicet, hac hypothese stante, idem corpus, quod jam ante, fuit, salva identitate, a sacrificulo producat, ubique atque semper fiat, alius substantiæ accidentia imo propria, sibi alias plane non convenientia in se recipiat, Sacramentum etiam sublato signo tollatur &c; quæri etiam posset, quid, si, quem videmus, panis verum Christi corpus est, in eo, si accidat, corrumpatur, quid veneno inficiatur, quid à mure vel alio animali corrodatur, quid à dentibus communicantium atteratur? at Scripturæ fundamentis planis atque solidis acquiesco; et hoc tantum moneo, quod ipsa Trid. Synod. Sess. 13. Can. 4. hostias & particulas post consecrationem superesse, & in iis corpus Christi remanere agnoscat. Ne autem frustra hanc suam hypothese adversarii posuisse videantur, ad ipsa institutionis verba provocat, in quibus Servator optimus totidem quasi verbis suam sententiam adstruat, atque de pane benedicto & porrecto dicat: hoc est corpus meum, & de calice, hic est sanguis meus. Quæ verba simplicius & naturalius explicari nequeant, quam si de panis & vini in corpus & sanguinem conversione intelligamus. Quominus autem iis assurgamus, rationes ex ipsa Scriptorum sacrorum explicatione jam jam indicavimus. Sed nec desunt, quæ huic eorum interpretationi solide opponamus. Hæc enim enunciatio ex iis est, in quibus subjectum *720* totum complexum denotat, prædicatum autem id exprimit, quod in eo præcipuum, sensibus impervium, & à Christo demum adjunctum est; uti Matth. c. 3. de columbæ specie quod sit Spiritus sanctus, & de Jesu, quod sit filius Dei dilectus recte dici potuit, Conf. Gerh. Confess. Cath. p. 1154. Dein si panis in corpus & vinum in sanguinem mediante consecratione convertuntur: non corpus pro nobis datum, non sanguinem pro nobis effusum, cujus tamen memoriam in S. Cæna recollere jubemur, accipimus; sed illud corpus illumque sanguinem, qui per consecrationem demum productus est, & ex panis vini que transmutatione substantiali prodiit. Porro ad consensum Ecclesiæ perpetuum in materia de transubstantiatione provocant adversarii. Licet autem negari nequeat, quod quidam Patrum in consideratius & obscurius mentem suam expresserint: adeo tamen non habent, cur de consensu gloriantur, ut potius Origenes in Comm. ad cap. 15. Matth. scribat: *Et cibus ille, qui sanctificatus per verbum Dei &*

consecrationem juxta id quod habet materiale (adeoque non accidentale tantum & modum externum) in ventrem abit, & per secessum emittitur; & Canon Nicenus ita habeat: iterum etiam hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, sed attolentes mentem fide intelligamus in sacra illa mensa Agnum Dei; Gelasius Papa etiam aperte pronuntiet in Lib. de duabus naturis contra Eutych: certe Sacramenta, qua sumimus, corporis & sanguinis divina res est, propter quod & per eadem divina efficimur consortes natura; & tamen esse non definit substantia vel natura panis & vini. Et si consensus antiquitatis tam certus est, cur Gregorius de Valentia L. de transubstantiatione c. 5. dogmatis hujus confirmationem ab Ecclesiastica traditione non altius quam à quatuor Conciliis Vercellensi, Turonensi duobusque Romanis adversus Berengarium habitis, adeoque à seculo demum undecimo repetere potuit? & cur in Concilio Lateranensi Anno 1215. sub Innocentio III. demum transubstantiatio tanquam articulus fidei definita fuit? Plura qui vult, adire poterit B. nostrum Gerhardum in Conf. Cath. p. 1140. - 1144. & Magn. Dn. Canc. PFAFFII Mörthigen Unterricht p. 676. &c.

Quid jam capitali hac de transubstantiatione hypothesi remota de reliquis ex ea fluentibus doctrinis Pontificiorum sentiendum sit, sine difficultate à quovis dijudicari potest. Scilicet quia elementa externa in ipsum corpus & sanguinem JESU CHRISTI mediante consecratione converti docent adversarii: hunc panem in Corpus Christi transmutatum religiose etiam asservari, devote suo tempore exponi & circumgestari, veroque latræ, qui vero Deo debetur, cultu adorari debere volunt Pontificii. Ita enim Can. 6. Sess. XIII. Synod. Trid. constituit: *Si quis dixerit in sancto Eucharistia Sacramento Christum Unigenitum Dei filium non esse cultu latræ etiam externo adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ sacræ ritum & consuetudinem solenniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatrias; anathema sit.* Conf. C. 5. & 6. Uti autem hæc omnia a.) à transubstantiatione suam ducunt originem: ita cum ea stant atque cadunt singula. Dein & β.) alia etiam eaque falsa hypothesi nituntur hæ Pontificiorum hypotheses, quasi scilicet ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum actio & usus necessarius non requirantur, sed sola re & substantia objecti Sess. 13. Can. 4. absolvi possit. At non re substantia & objecto, verum actione circa eam non interrupta & usu ejus absolvi tum Christi institutio tum Pauli repetitio, in quibus omnia in actione consecrationis, distributionis & receptionis consistunt, clare ostendunt;

dunt; neque panis in se sed fractus, sive distributus & assumtus, communio corporis Christi dicitur *1. Cor. 10. 16.* Hinc *γ.*) diffiteri non possumus, quod Pontificii idololatriæ peccato sese maculent, dum ei religiosum cultum deferunt, quod in se inanimata creatura est. Et etiamsi *δ.*) eorum de transubstantiatione hypothesein firmam fundatamque hactenus concedas; ipsi tamen semper metu idololatriæ non possunt non compungi; quia dum secundum eos consecratio à debita consecrantis debitaque intentione ab Episcopo ante ordinati intentione dependet, an legitime atque recte consecraret, consequenter an transmutatio facta sit nec ne, nec sciunt, nec scire etiam possunt. vid. Summe Reverendi Dn. D. WEISMANNI *erste Grunde* Lehren *2c. p. 119. &c.*

II.

Quæritur, quid de Pontificiorum comunione sub una statui debeat? Notum enim in vulgus est, quod nemo, sive Clericus sive Laicus, apud eos sub utraque communicet, nisi sacerdos actu consecrans, sed omnes sola corporis sub panis reliquiis comunione acquiescere debeant & credere, se tantum sub una accipere, quantum sub utraque fit, hocque ex naturali illa corporis atque sanguinis connexionem atque concomitantiam fieri. Iterum enim Concilium Trident. Sess. XXI. Can. 1. *si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissima Eucharistia Sacramenti sumere debere; anathema sit.* Can. 2. *Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut Laicos atque etiam Clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.* Can. 3. *Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistie sub unaquaque specie & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.* Conf. Sess. XIII. C. 3. & Sess. XXI. C. 1. Quodsi vero quippiam est, quo Ecclesia Pontificia suam nuditatem declarat, & re ipsa se super Deum ejusque ordinationem extollit, hæc certe temeraria calicis consecrati subtractio est. Quod enim sapientissimus Servator sub utraque instituit *Matth. 26. 26, 27;* quod discipuli ita celebrant *Marc. 14. 23;* quod distincte per panem ad corporis pro nobis traditi, & per poculum ad sanguinis pro nobis effusis recordationem, & in genere pari ratione per utrumque ad mortis annuntiationem fieri debet *Luc. 22. 19, 20. 1. Cor. 11. 24, 25;* quod primitiva & Apostolica Ecclesia, quæ traditio obligat, accurate observavit *1. Cor. 10. 11. 26, 27;* quod testamenti ne inter homines quidem mutandi rationem habet *Gal. 3. 15, 16;* illud qua ratione à potestate humana sine dispositione divina imo contra eam mutari, & à Concilio Constantiensi scribi possit, quod licet Christus instituerit, & suis

disci-

discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum; — Licet etiam in primitiva Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur sub utraque specie: tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod à conficientibus sub utraque specie, & à Laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur; cum firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis quam sub specie vini veraciter contineri, Unde cum huiusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit: habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesia auctoritate pro lubitu mutare &c. ego quidem nulla ratione perspicere & penetrare possum. Sit enim corpus Christi sine sanguine, & vice versa non esse: hoc etiam Christus melius nobis noverat, & tamen voluit, ut distincte sub pane corpus, & sub vino sanguinem sacramentaliter participemus. Et si verba sumite, edite, bibite, hoc facite, præceptum non dicunt: rectissime quid ergo præceptum sit? quærere licet. Et quæ diuturnitas contra Christi institutionem, contra Apostolorum traditionem, contra primitivæ Ecclesiæ praxin locum habere potest? ne dicam, quam infirmo hæc eadem fundamento nitatur, in quem finem noster B. Gerhardus in *Conf. Cath.* p. 1160 - 1180. & Rev. Dn. Canc. noster *l. c.* p. 713. evolvi iterum iterumque merentur, qui eandem ex ipsissimis adversariorum testimoniis quam solidissime destruunt. Et quæ tandem quæso illæ rationes, quæ pericula, quæ scandala sunt, quæ Sanctos Patres rationabiliter ad abrogationem sacri calicis in S. Cœna moverunt? Joh. Gerson, qui Concilio Constantiensi interfuit, in tractatu de communicatione Laicorum, in quo ex voluntate illius Concilii contra communicationem Laicorum sub utraque scribit, illas allegat, & potissimæ hæc sunt; quia calix in tanta communicantium multitudine facile; imprimis in deportatione in alium locum, effundi, per vasa sordidari, per barbas longas indecore contrectari, in acetum degenerare, congelare; putrescere, per præbibentes maculari, in quibusdam locis magno venire possit &c. Quis autem non obstupescat, quod rationes tam elumbes, tam vanæ, tam contradictoriæ contra expressam Servatoris ordinationem à viris cetera tam prudentibus allegentur? Brevitatis studio hoc tantum adjicio, quod, si ita procedere licet cum ordinationibus Servatoris optimi, nihil obstat, quominus etiam panis vel abrogetur, vel calix in ejus locum substituat.

III.

Quæritur, quid de Missæ Sacrificio Pontificiorum habendum

dum sit? Scilicet Pontificii statuunt, quod in Eucharistiæ mysterio non tantum Sacramentum, quod edatur & bibatur, contineatur, sed etiam sacrificium, quod Deo immortalis à sacrificulo offeratur atque immoletur. Quia enim, ajunt, Sacerdotium Christi per mortem ejus extinguendum non erat: Christum non tantum in ultima Cœna sub panis atque vini speciebus sanctissimum suum corpus atque sanguinem Deo Patri suo cœlesti pro nobis obrulisse, sed simul discipulis suis omnibusque eorum in officio Successoribus, quos illo ipso actu Sacerdotes Novi Testamenti constituerit, mandasse, ut & illi in commemorationem sacrificii sui in cruce semel oblatis sub iisdem panis & vini speciebus suum corpus atque sanguinem Deo semper & ubique, ubi & quamdiu Ecclesia in terris erit, offerant; hancque oblationem verum proprium & propitiatorium, licet incruentum & repræsentativum commemorativumque tantum sacrificium esse addunt, quo, virtute quidem corporis & sanguinis in ara crucis oblatorum, gratia & donum penitentiae concedatur, & remissio peccatorum pro vivis & mortuis, adeoque præsentibus & absentibus, & quid hic agatur, scientibus & ignorantibus impetretur. Hancque eorum mentem esse ipsissima Synod. Trident. verba Sess. XXII. C. I. quemlibet edocebunt, quæ hæc sunt: *Is igitur Deus & Dominus noster, esse semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilecta Sponsa sua Ecclesia visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repræsentaretur; ejusque memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obrulit; ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituerat, ut sumerent, tradidit, & eisdem eorumque in sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit. Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum & in regnum suum transtulit.* Et C. 2. sequentia addit: *Et quoniam in divi-*

no hoc sacrificio , quod in Missa peragitur , idem ille Christus continetur , & incruente immolatur , qui in ara crucis semel seipsum cruenta obtulit : docet sancta Synodus , sacrificium istud vere propitiatorium esse , per ipsumque fieri , ut si cum vero corde & recta fide , cum metu & reverentia , contriti ac poenitentes ad Deum accedamus , misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quidem oblatione placatus Dominus , gratiam & donum poenitentia concedens , crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia , idem nunc offerens sacerdotum ministerio , qui seipsum tunc in cruce obtulit , sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis , cruenta , inquam , fructus per hanc uberime percipiuntur : tantum abest , ut illi per hanc quovis modo derogeretur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis , poenis , satisfactionibus & aliis necessitatibus , sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite juxta Apostolorum traditionem offertur. Et in Canonibus tribus primis contra omnes dissentientes sententiam condemnatoriam audacter ferit. Dum autem in tam ardua re merito nil sine Scriptura & ordinatione Servatoris optimi poni & determinari debet , non possum non ingenue fateri , quod de his doctrinis neque in verbis institutionis Christi , neque eorum explicatione aliquid , quod animum coram Deo atque hominibus vel tantillum tranquillare posset , invenire potuerim. 1.) enim sine ullo fundamento ponitur , quod Christus in S. Eucharistia institutione seipsum Patri suo obtulerit & immolarit ; neque sine Scripturae contradictione poni potest , ut quae Jesum semel , in oppositione ad Sacerdotes Leviticos , se Patri in cruce obtulisse Ebr. 9. 28. & 1. Pet. 2. 24. & hic se non Patri sed nobis obtulisse & dedisse fatetur. Neque 2.) ex his verbis , hoc facite in meam commemorationem , extorqueri potest , quod vel Apostolos vel eorum Successores sacerdotes , qui ejus corpus & sanguinem sub speciebus panis atque vini offerant , Christus constituerit , dum haec verba a.) in complexu omnes actus antecedaneos benedictionis , distributionis , sumtionis , esus & potus &c. simplicissimo sensu denotant b.) discipulos non ut administrantes sed communicantes considerant ; imo ad totam Ecclesiam , ut ex Doctoribus & auditoribus constat vi 1. Cor. 11. 24. &c. pertinent c.) nostrum officium ad esum & potum dicendo , hoc facite quoties biberitis 1. Cor. 11. 25. non oblationem restringunt , & d.) recordationem non oblationis à Christo in Eucharistia factae sed mortis Christi praecipunt , & recordationem Christi per annunciationem mortis ejus explicant 1. Cor. 11. 26. Porro & 3.) in Eucharistia sacrificium neque verum & proprium , neque propitiatorium , neque incruentum locum vel

vel habet vel habere etiam potest. Quod enim *primum*, sacrificium scilicet verum & proprium, atinet, Bellarminus L. 1. de Missa C. 2. illud describit, quod actio externa soli Deo facta sit, quâ ad agnitionem nostræ infirmitatis & ad professionem divinæ Majestatis à Ministro legitimo res aliqua sensibilis & permanens ritu mystico consecratur & transmutatur, hoc est, sic mutatur, ut destruat, & desinat esse quod est; in Eucharistia autem neque, ut jam monuimus, Deo aliquid sed nobis offertur, neque res ex hypothesi Pontificiorum oblatæ, Corpus & sanguis Christi, vel sensibiles sunt, vel destrui etiam possunt & mutari. Neque sacrificium *secundo* propitiatorium, expiatorium & placatorium est, per quod misericordiam consequamur, quoque placatus Dominus gratiam concedat & peccata etiam ingentia dimittat; quia secundum S. Scripturam in Novo Testamento, in contradistinctione ad repetitionem sacrificiorum expiatoriorum typicorum Veteris Testamenti, Christus una oblatione in cruce semel facta nos expiavit, & gratiam Dei restituit, ut expresse habetur Rom. 6. 9, 10. 1. Pet. 3. 18. Ebr. 7. 27: 9. 25, 26: 10. 10-14. Neque *tertio* sacrificium pro peccatis incuruentum in Scriptura fundatum est, ut quæ testatur, quod sine sanguinis effusione non fiat remissio Ebr. 6. 22; ita quidem, ut si Christus sæpius se offerre voluisset pro peccatis, sæpius etiam pati atque mori adeoque sanguinem suum effundere debuisset. En quam arte & indissolubiliter Scriptura oblationem pro peccatorum abolitione & passionem, mortem sanguinisque effusionem in Christo conjungat. Recte quidem 4.) dicitur, quod in Eucharistia Sacrificium cruentum in cruce peractum repræsentari, ejusque memoria in finem usque seculi permanere, atque illius salutaris virtus in remissionem peccatorum nostrorum applicari debeat; recte etiam omnes fructus à cruenta Christi oblatione derivantur: at hæc omnia *sine nova Sacrificii repetitione* Christi oblatione per sacramentum Cœnæ fieri possunt; dum in ea mortem Domini annuntiamus & ejusdem recordamur; & in quantum fructuum, à cruenta Christi oblatione dependentium, perceptionem à repetitione oblationis hujus incurentæ derivamus, huncque participandi ordinem necessarium statuimus, tantum etiam oblationis cruentæ semel in cruce peractæ *perfecti* detrahimus, eamque in sortem Leviticorum sacrificiorum detrudimus. Neque 5.) etiam hoc satis coherere videtur, quod idem Christus eademque hostia esse dicitur, quæ in ara crucis oblata est & quotidie in altari offertur, sola offerendi ratione diversa; & tamen hanc illam repræsentare statuitur. Idem enim sui repræsentativum esse & invisibile visibile repræsentare commode saltem dici nequit. Nec quia eadem hostia, etiam propitiatoria, sed potius superflua est. Et si vera sunt, quæ ponuntur, quod hoc sacrificium Eucharisticum

eum in finem institutum sit, ut sacrificium illud in cruce peractum per hoc repræsentetur, commemoretur & applicetur: cur nihilominus sacrificium vere propitiatorium, per quod misericordiam consequamur, Dominus placeatur, donum poenitentiae concedatur, & peccata etiam ingentia dimittantur, dici possit, non facis percipio. Aut enim per hoc sacrificium Eucharisticum nova reconciliatio fit, & gratia impetratur, aut non. Si illud assumitur, sacrificium non repræsentativum & applicativum tantum sacrificii in cruce peracti erit; neque hoc ex omni parte contra Scripturam effectum perfectum fuisse, aut inutiles, superflua & in Deum iniqua quadam ratione repeti concedi debet; & quod cruento hac ratione quovis modo derogeretur, nemo non videbit: si vero hoc dicitur, vere propitiatorium vera ratione dici nequit, sed sacrificii vere & unice propitiatorii repræsentatio & commemoratio ex veritate erit, nomenque sacrificii ob sacrificii cruenti commemorationem obtinebit. Quod præterea, si quoddam concedere vellemus, 6.) Missæ sacrificium etiam ad mortuos extendunt, & pro iis offerunt, id non tantum præter sed etiam contra Scripturam faciunt & ordinationem Christi, ut quæ pro iis, qui edere atque bibere possunt, Eucharistiam datam esse pronunciat. Quod tandem 7.) in hac eorum doctrina ad sempiternum Ecclesiæ Catholicæ consensum provocant, mirum alicui ex ea ratione videri potest, quod & ante & post Concilium hoc Tridentinum in illo ipso multum contradixerunt, uti Petrus Suavis in Hist. Conc. Trident. L. VI. p. m. 940. &c. recenser; & Bellarminus etiam ejus antiquitatem non longinquius quam à mille annis deducere potuit. Antiquitatis testimonia in contrarium vide imprimis in Reverendissimi Dn. Cancellarii Pfaffii *Wöhigen Unterricht* p. 685. &c. Cetera agnoscimus quidem in Melchisedeco & agno paschali typicam ad Christum rationem: quod autem Melchisedecus Gen. 14. 18. panem & vinum non Abrahamo & comitatu ejus sed Deo obtulerit, & in eo Christum in Eucharistia sacrificantem adumbravit; neque cum ratione solida ostendi potest; neque, si posset, Pontificiorum, qui non panem & vinum sed C. & S. Christi offerri ajunt, causam juvare valerent. Agno paschali autem licet non omnem sacrificii rationem auferas: ea tamen in sacrificio Christi adimpleta, & per hoc etiam abrogata fuit, in Eucharistia capropter nunquam repetenda. Et quis non attendit, quod Mal. I. 11. loquendi ratio a Iudæorum sacris v. 10. desumpta sit; a Mincha ad Sacrificium expiatorium frustra concludatur; & si litera inhærerere volumus, totus cultus leviticus, a Christo sublatu, reduci debeat. Plura addere pagina aliæque necessitates prohibent; & quam hæc aliæque rationes non concludant, in ipso Concilio Trid. ipse confessus est Atalides. Vid. P. Suav. *l. c. p. 943. &c.* Ex his omnibus liquide apparet quam gravibus rationibus vel in unico articulo, ut alias longe gravissimas taceam, adductis, Ecclesiam Pontificiam deserere & Evangelicam amplecti commotus sim. Deo interim devotissimas ago gratias, quod me suam docere veritatem voluit, eundemque ex animo imploro, ut in sua veritate me conservare, & per veritatem humiliter efficaciterque admissam sui me in Christo nunc & tunc comitem facere velit.

Venerabilis atque Clarissime Domine Erhardt!

Tuam mihi Dissertationem exhibuisti, & ad eam meum qualecunque præsidium expetiisti. Sincerum te hæcenus expertus sum Israelitam, qui veritatem Evangelicam vitæ probitate ornasti, & Evangelio Iesu Christi digna ratione inter nos, sed non sine multis variisque calamitatibus, ambulasti. Hiuc te semper amavi, neque honesto tuo desiderio desisse vel volui vel potui. Ea, qua cœpisti, via perge, & in veritate atque pietate semper cresce atque confirmare. Pater tuus qui in cœlis est, omnia novit, quibus eges, & dixit: non te deseram; neque te derelinquam. Qui huic usque jovit, & in futurum tecum erit, si fidus manseris, & animos etiam aliorum tibi occulte conciliabit. Ego uti patrocinio atque favore te dignum judico, ita Maxcenatibus, patronis a favoribus atque bonis omnibus te reverenter atque decenter commendo, ut, ubi consilio auxilio aliave opera poterunt, te adjuvare, tuis necessitatibus subvenire, & in vinea Domini locum & laborem assignare non desistant.


P R Æ S E S.

00 A 6333

EO-3h
Feb. 01

Zha ✓

Me ✓





910
Q. D. B. V.
EX MATERIA
DE

EUCCHARISTIA SACRA

TRES QUÆSTIONES

Easque Primarias

CONTRA PONTIFICIOS,

sub PRÆSIDIO

CHRISTIANI HAGMAJERI,
Theol. D. & Prof. Publici Ord.

Ecclesiæque Pastoris,
ad Disputandum proponit

Author & Respondens

GEORGIUS PAULUS ERHARDT, *Ratisbonensis,*
ante hac

Membrum Ordinis Francisci FF. Minorum Concionator &
Confessarius, nunc vero Dei gratia Ecclesiæ Lutheranæ - Evangelicæ
quinque annorum Profelytus, & in Illustri Stipendio Tub.
Ministerii Candidatus.

d. 19. Mart. Anno MDCCXXXI.

TUBINGÆ,

impressit Josephus Sigmund.